



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

M. Ant. Mvreti Variarvm Lectionvm Libri XV

Muret, Marc-Antoine

Antverpiæ, M. D. LXXXVI.

Cap. 24. De immani crudelitate regis Deiotari.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70864)

Hæc postrema quibus verbis Græcè pronuntiata sunt, si quis videre cupis, reperiet apud Ælium Aristides
 ἐν τῷ βιβλίῳ Ἐπιφύλακτον.

Medicum fuisse Herculem, & sanatum ab eo Alcestin, quæ iam deposita esset.

CAPVT XXIII.

SCRIBIT Plutarchus, fortissimum heroum Herculem medicinæ peritum fuisse. itaque quod apud Euripidem legitur de Alcestide, quam, cum mortua pro viro suo Admeto obiisset, Hercules cum ipsa Morte luctatus, per vim ei eripuisse, & viam ad Admetum reduxisse narratur: ita intelligendum esse: cum Alcestis ita grauer ægrotaret, vt deposita iam & desperata esset, venisse Herculem, & medendi arte, qua excelleret, ei valetudinem pristinam reddidisse. Admeto autem ea in re gratificari voluit, non enim minus amabat Admetum Hercules, quam Alcestin Admetus.

De immuni crudelitate regis Deiotari.

CAPVT XXIIII.

ATROCI admodum & barbaro ingenio fuisse oportet regem Deiotarum: si verum est, quod de eo idem ille quem modò nominavi, Plutarchus memoriæ prodidit, & sanè is est auctor Plutarchus, quem nemo reicere vt parum idoneum possit. At autem Deiotaro plures fuisse filios, quorum cum ipse vni relinquere imperium, atque omne patrimonium suum cuperet: quo id facilius efficeret, ceteros omnis manibus suis trucidauit; vinitorum exemplo, qui cum vitis aliqua complures emiserit surculos, vnum modò ex eis relinquere, alios amputare consueuerunt; vt is qui relinquitur, maior & robustior fiat.

De lege